

A *Cum viris qui iniqua operantur.*] Expende hîc, quantû periculi sit ex consortio malorum, quàm procliues ad hoc simus, vt malorum hominum exemplis corrumpamur. Timet sibi ab hoc malo Propheta. Cùm Propheta timeat sibi quisq; pius, præfertim qui eo est loci, vt malorum conuictû haud facîle vitare queat.

Percuiat me iustus ex beneficentia.] Admonemur hoc versu, & postrema præcedentis clausula, quàm sint nobis cauendæ malorum hominum blanditiæ, quibus nos inescare ac decipere moliantur. Mauult Propheta ab homine iusto reprehendi, quàm ab impio demulceri: Sic Salomon Prou. 27. dicit: Meliora sunt vulnera diligentis, quàm oscula odiētis. Sunt huius rei multa quidem exempla in Scripturis, quibus declaratur, quomodo homines impij blanditijs suis moliti sint exitiû innocentibus. verûm quid attinet rem nostro potissimû seculo & notissimam & vsitatissimam, prisorum temporum historijs declarare? Id est in nobis summopere deplorandum, quòd seriore correptionem ferre non valentes, malum placentia dici, quantumuis falsa, & ad fallendum cõposita, quàm quæ ad correctionem & salutem nostram proferuntur. Hoc quid est aliud, quàm sciēter, & prudenter falli, atque in exitium pertrahi velle omnium manifestissimum?

Nam adhuc oratio mea aduersum mala eorum dirigitur.] Obserua hîc, quo genere armorû Propheta inimicorum suorû malitiæ restiterit. *Oratio mea, inquit, aduersum mala eorum dirigitur.* Armis bellicis cõtra gentes populi Dei hostes, oratione aduersum suos pugnauit inimicos, quorum malitia & insidijs in ipso populo Dei impugnabatur. Iam diuersa vtimur pugnandi ratione. Armis pugnant inter se Christiani, omnium insanissimè. Oratione pugnamus contra Turcos Christiani nominis hostes.

Præcipientes dentur velut de rupe iudices eorum.] Expendamus hîc, cui hominum generi vltionem hanc imprecetur. *Iudices eorum, inquit.* Non simpliciter *Iudices*: sed, *Iudices eorum*: qui videlicet impiorum hominum malitiam non coërcuerant, cùm ad id ex officio astringerentur. Ergo culpa malorû, quæ ab impijs impunè perpetrantur, deriuatur in capita iudicum & magistratuum, qui potestate sua ad coërcendum reprobos non legitimè funguntur. Sic Numer. 25. iussu Domini suspensi sunt in patibulis principes populi propterea quòd populi scortationem non prohibuerant.

Audissent verba mea, si dulcia fuissent.] Obseruemus hîc, vnde sit perditio iudicum, magistratuum & principum. Non admittunt eorum verba, qui redarguant ipsorum delicta, sed palpo delectantur, & assentatoribus accommodant aures, Hinc non solùm corrumpuntur ipsorum animi, sed & iudicia peruertuntur, reprobis in malis corroborantur, & innoxij supprimuntur. Hæc erat corruptio iudicum, quorum hîc Propheta meminit. Non audierant rectè monentem: quia non *dulcia*, sed *austera*: hoc est, moribus ipsorum incommoda proferebat.

B *Sicut qui diuidit ac proscindit terram, sic dispersa, &c.*] Obserua hîc non solùm, quæ populi Israelis sub Shaule fuerit calamitas, qua boni quiq; ab impijs sic opprimebatur, vt quasi deuorata ipsorum carne, nuda ossa sparsim veluti ad foueam sepelienda iacerent: sed & quis fuerit pij Prophetæ erga sic oppressum ac deuorationi obnoxium populum animus: quò factum est, vt in oratione sua, qua suam ipsius necessitatē Domino proponit, & opem illius implorat, publicæ calamitatis obliuisci nequisuerit. Apparet illum monuisse iudices, ne patrocinentur impiorum studijs & malitiæ, sed innocentes potius defenderent: verûm nihil effecisse. Id peccus ipsius vrebatur, pro zelo, quo erga populum Dei erat præditus. Sic præparabatur animus futuri pastoris ac regis, quem populo suo afflictio destinauerat Deus: vt quò maiore afflictorum commiseratione exercebatur, hoc illos postea regno inauguratus maiore fide ac benignitate regeret ac pasceret. Admonet hic locus, quales viros populo suo gubernando destinet Deus, vbi rebus afflictis succurre statuit.

Quoniam ad te Domine, here mi, sunt oculi mei.] Obserua quòd non dicit, *Quoniam iustus sum Domine, ne effundas animam meam*: sed, *Quoniam ad te Domine, here mi, sunt oculi mei: in te spero, ne effundas animam meam.* Spei suæ magis quàm iustitiæ rationem à Domino haberi confidit. Habet quidem iustitiæ respectum Deus, & innocentie patrocinetur: verûm iusti & pij homines magis fidei, & spei ac fiducia suæ, quàm iustitiæ fulcris in conspectu illius nituntur: hoc est, magis ad bonitatem Dei, qua sperantes in se non deserit, quàm ad propriam respiciunt innocentiam. Etenim quid aliud est, cùm dicit: *In te spero, ne effundas animam meam*: quàm hoc mihi de bonitate ac fide tua polliceor, quòd sis vitæ meæ rationem habiturus.

Custodi me à laqueo.] Quid in hoc versu obseruari possit, vide Psalmo præcedenti, versibus 4. & 5. *Incidant in retia sua impij simul.*] Recurrat lector ad Psalmum 7. & videat versus 15. & 16.

PSALMVS CXLII.

Intellectus Dauidis, cùm esset in spelunca, oratio.

Potes̄ hoc epigrapha sic ordinari: *Intelligentis Dauidis, cùm esset in spelunca, oratio. Vel, intellectus Dauidis, cùm esset in spelunca, & oraret.*

ARGVMENTVM PSALMI.

Ex historia, ad quam respicit epigrapha, quæ 1. Sam. 24. legitur, satis perspicuum est huius Psalmi argumentum. Ad hoc est à Propheta compositus, vt & animi sui angustiam & orationē, quam in spelunca constitutus, ad Deum fuderat, & sibipsi memoria, & pijs reliquis alenda ad Deum fidei gratia exprimeret.

TT 4 VOCE

OBSER.
Vers. 5.

OBSER.
Vers. 6.

OBSER.
Vers. 7.

OBSER.
Vers. 8.

OBSER.
Vers. 8, 9, & 10.